



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 1. Quæ conditiones seruandæ sunt in legis abrogatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

legis. Ergo in illo casu, in quo deficit, & lex ipsa deficere debet. Et confirmo. Cum deficit ratio legis vniuersaliter, cessat integre lex, & cum deficit pro aliquo tempore, pro illo deficit, seu suspenditur eius obligatio, vt diximus. Ergo etiam suspendi debet pro casu, & persona, pro qua deficit ratio legis. Quia ideo in supradictis casibus cessat obligatio legis cessante illius causa; quia tunc lex non iudicatur bono communi expedire, sed vbiusque cesset ratio ipsius, cessat ratio iudicij. Ergo & iudicium, ergo & lex.

10 Nihilominus communitur, & secuta sententia docet ob precifam cessationem negatiuam causa finalis in aliquo speciali casu, circa aliquam, vel aliquas particulares personas non cessare obligationem legis, si in vniuersali causa finalis peteuerit; sic pleribus relatis docet Suarez lib. 6. cap. 7. n. 5. Et rursus cap. 8. Salas dicens esse certum disp. 11. sect. 3. n. 31. concl. 3. Bonacina disp. 1. q. 1. p. vlt. §. 2. n. 2. Thomas Sanchez lib. 3. disp. 1. n. 39. vers. scd. displicet solutio. Ratio huius sententia est, quia lex, & generale preceptum non respicit casus speciales, sed ea que communitur contingunt, *Lex qua raro, ff. de regul. iur. non enim lata est de prohibitione armorum, ob vitandam huius, vel illius rixam, sed ob vitandas rixas communitur contingentes.* Ergo dum communitur contingere possunt, quilibet est censendus obligatus; quia iam videtur comprehenditur sub lege, & sub fine illius. Item non leuia inconuenientia ex opposita sententia lequereatur; daretur enim occasio violandi leges non solum positas, sed naturales; cum facile posset quis affirmare cessare in illo rationem prohibitionis. Exemplum sit, si dicamus fornicationem esse prohibitam solum ob malam proles educationem, & quis expolisset media, quae ad rectam illius educationem possunt accogitari, necessaria; diceret etiam posset sibi licere fornicationem, quod abfit.

11 Mihi haec sententia omino probatur non ob rationem aliam, nisi amplius explicetur; sed quia exitimo finem legis in nullo casu speciali cessare, si in vniuersali non cesset; cessat in illo aliquo modo inconuenientia, quae lege intendebatur vniuersaliter praecauti. Aliud enim est cessare damnum, & periculum illius speciale, aliud cessare generale periculum illius. Finis enim legis, & vniuersalis praecipi prohibendi armorum delationem, v.g. est vitare generale periculum rixae, non speciale. Et ob huiusmodi finem omnibus etiam pacatissimis delatio armorum prohibetur, & merito quia lex est generalis, & omnes, qui in illam delinquere possunt, debet comprehendere. Ergo non possunt ipsi allegare, cessare in illis rationem prohibitionis, siquidem non cessat generale periculum, licet speciale cesset. Et ex hac ratione facilissimo negotio soluitur fundamentum primae sententiae. Cuius distinctio de lege lata ob vitandam inconuenientiam, vel ob finem bonum, nullo modo est admitenda: nam, vt recte expendit Suarez lib. 6. de legibus, cap. 9. num. 14. eandem dependentiam vitare lex habet a suo fine. Neque imaginari potest, quare et cessatione vnus cesset lex, & non ex cessatione alterius, si in vitaque eodem modo cesset.

PUNCTUM II.

De cessatione legis per eius abrogationem.

Explicit lex tolli potest a Principe, vel secundum se totam, vel quoad aliquam illius partem, si integre tollatur, dicitur abrogatio, si secundum partem, derogatio. Quod autem de abrogatione dicitur, de derogatione similiter intelligendum est, quia est partialis abrogatio.

Secundo, praemitto abrogari legem posse vel alia lege contraria inducente obligationem ad contrarium actum, vel ad abstinentiam ab eo, qui erat per priorem legem imperatus. Vel abrogari potest tollendo obligationem illius, & nullam aliam imponendo. Videndum ergo est, quae conditiones feruande sine, siue hoc, siue illo modo lex abrogetur, & quis legem possit abrogare.

§. I.

Quae conditiones feruandae sint in legis abrogatione.

- 1 Lex valida, & utilis abrogari potest.
- 2 Vt honeste fiat abrogatio, requiritur causa bono communi proficiens.
- 3 Siue causa abrogatio legis ab eo, qui legem tulit, valida est, tamen si illicita.
- 4 Quae publicatio in abrogatione requiritur, proponuntur duae extremae sententiae.
- 5 Reducuntur in concordiam.
- 6 Quae publicatio sufficiat, si non est per legem reuocatio facta.
- 7 Lex posterior priorem abrogat, si in corpore iuris prior fuerit inserta.

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

- 8 Limitatur, nisi iuramento firmata fuerit.
- 9 Posterior abrogat priorem, dummodo illi contraria sit, neque patitur interpretationem.
- 10 Lex abroganda specialis, vel generalis extra corpus iuris non abrogatur, nisi illius fiat mentio saltem in genere.
- 11 Lex specialis pro aliquo loco, vel speciali materia, tamen si corpori iuris fuerit inserta, non abrogatur lege contraria, nisi illius fiat mentio saltem in genere.

1 PRimo certum est legem validam, & reipublice utilem abrogari posse, non solum valide, sed etiam licite, & honeste: sic omnes expoitores cum D. Thoma 1.2. *quest. 97. art. 1. Iurista in l. vnica, C. de caduc. tollend. in princ. Et in l. 1. §. 2. ff. de consuet. Princip. Et in cap. non debet, de consanguinit. Et affinit. Et cap. alma mater de sentent. excommunicat. in 6.* Ratio est, quia obligatio legis pendet a voluntate legislatoris. Ergo si cessat eius voluntas, cessabit & lex. Quod autem licite possit hanc voluntatem habere tollendi legem factam, inde constat; quia pro varietate temporum res solent mutari, & quae vno tempore bono communi iudicabatur utilis, postea minus utilis esse potest. Adde, etsi lex utilis sit reipublicae, potest magis utilis esse illius reuocatio: tum quia ex illa foret grauanus nimis subditi: tum quia facta est tanta legum multiplicatio, vt videatur non leuiter conuenire aliquas abrogare: tum quia passim violatur, & cedit ex malicia subditorum in illorum perniciem. Ex quibus rationibus constat, & posse legem utilem esse reipublicae, & ex alia parte posse valide, & honeste abrogari.

2 Secundo certum esse debet, vt honesta sit, & licita abrogatio, necessarium esse causam pertinentem ad bonum commune. Constat ex supradictis textibus, praecipue ex 1.2. *ff. de consuet. Princip. Et ex cap. non debet, de consanguinit. Et affinit.* Et ratio est clara, quia abrogare legem utilem reipublicae absque legitima causa, est abuti potestate, & iurisdictione sibi concessa. Ergo peccat. Deinde Princeps ex officio tenetur sibi subditos regere legibus conuenientibus. Ergo si has leges tollit absque causa, iniuste facit, quia subditis prauidetur.

3 Tertio certum esse debet putam legis abrogationem factam absque causa, ab eo, qui legem tulit, validam esse, esto illicita sit. Probo, quia legis obligatio ex voluntate legislatoris pendet. Ergo si cessat eius voluntas, & nolit amplius ea lege obligare, cessabit obligatio legis. Dixi, abrogationem puram: nam si fiat per nouam legis impositionem, certum est sine causa non valere, quia non valet lex, quae non iudicatur bono communi expedire. Minus enim necessarium est ad legis abrogationem, quam ad illius impositionem, quia minus necessarium est ad tollendam subditi obligationem, quam ad imponendam illis: & in his omnes ferē Doctores conueniunt: vt videre est in Vasquez 2. *part. de legibus, disputat. 178. a cap. 1. Salas disp. 18. sect. 1. praecipue num. 3. Et 4. Suarez lib. 6. cap. 25. n. 3. Bonacina disp. 1. q. 1. punct. vlt. §. 1. n. 1. Et 2.*

4 Difficilis prima est, Quae publicatio requiratur in abrogatione, vt censetur lex abrogata? In qua re sunt duae extremae sententiae. Prima expostulat publicationem similem cum lege, quia vsque legis reuocatio subditi insinuat, lex publicata viger, & subditi illa adstringuntur: sic docet Vasquez disp. 156. *cap. 4. num. 25. consentit expresse Azor tom. 1. lib. 5. cap. 3. quest. 7. Salas disp. 12. sect. 8. Et disp. 18. sect. 2.* Secunda sententia huic contraria est, nullam publicationem requiri, sed sola voluntate Principis abrogari legem posse, sic docent Cordub. lib. 3. *qui est de indulgent. quest. 16. post 3. conclus. Capreolus in 4. distinct. 1. quest. 3. ad 1. contra. 1. conclus. Conrad. 1.2. quest. 90. art. 4. vbi Moan. circa finem art.* Mouentur, quia in tantum lex obligat, in quantum legislator intendit obligare. Ergo si cessat eius intentio, cessabit obligatio. Et confirmo, si a principio sine intentione obligandi legem ferret, etsi subditi ignari illius intentionis crederent se obligatos: at reuera obligati non erant. Ergo etiam postea deobligati manebunt, cum primam reuocant intentionem.

5 Facile possunt huiusmodi sententiae in concordiam reduci. Si dicamus priorem sententiam loqui de reuocatione, quae fit per nouam legis impositionem, haec enim abrogatio omnes conditiones legis habere debet: neque censenda est vim habere reuocandi legem, quousque sic in ratione legis constituta, quia effectus reuocationis est illi secundarius. Secundam autem sententiam dicere possumus loqui de pura reuocatione, quae sola reuocatione Principis etiam interius facta compleri potest. At reuocare hoc modo absque promulgatione non est praesumendum de Principe: quia esset reuocatio debite gubernationi contraria, & multis inconuenientibus exposita, & ferē nullius effectus. Quocirca mihi valde probabile apparet non posse Principem solam voluntatem iam intimatam, & quae obligationem induxit, sola reuocatione reuocari, & quae actibus interioribus non se homines communicant neque ex illis potest effectus aliquis in alios reultrare. Ergo ex sola interiori reuocatione non potest obligatio subditorum tolli: aliis potest dici abolutionem a censura, & dispensationem

DE
ASTRO
PALAC
TOM.
LIB.
F. V. V.

dispensationem cuiusvis vinculi fieri posse sola interiori voluntate dispensantis. Item hæc reuocatio est iurisdictioni exercitium; sed hoc esse non potest per actus internos. Ergo non potest esse legis reuocatio actu solo interiori. Requiritur ergo, ut aliquo modo iudicis manifestetur: & ita tenent Salas, Azor, Valquez, Suarez, & alij ab eisdem relati supra.

6 Quæ autem publicatio sufficiat, & necessaria sit, prudentis arbitrio est consideranda, & præcipue attendenda est consuetudo, si aliqua sit. Nam cum hæc reuocatio non fiat per legem, non erit necessaria publicatio, quæ ad legem est requisita. At censo debere esse ita publicam, ut facili in omnium, qui lege ligantur, notitiam deuenire possit; neque debere Principem velle aliter legis obligationem definire, quia rectæ gubernationi maximè conuenit, ut sicut omnes simul fuerint lege obligati, omnes simul illa soluantur. Ex quo fit sciendum legis reuocationem non adhuc (soli lege, quovisque reuocatio fuerit publicata, ut communiter in subditorum notitiam deuenire possit, sicuti diximus de lege Pontificia: neque præsumenda est aia voluntas in legislatore ob rationes dictas, dum aliud non exprimit.

7 Secunda difficultas est in abrogatione per legem, quando lex posterior censetur priorem abrogare?

Cui difficultati respondeo primò. Si lex prior generalis erat, & in communi iure inserta, & secunda eadem generalitate loquitur, eo ipso, quo ferrur lex priori contraria censenda est abrogata, neque necesse est prioris mentionem facere. Ratio est, quia Princeps legem posterioriorem ferens, conscius erat legis prioris contrarie: hanc enim ignorare non præsumitur ex c. 1. de consuet. in 6. Sed non obstante illa lege, tulit legem contrariam, ergo voluit illam derogare: sic docent omnes cum glossa in supradict. cap. in leg. sed & posteriores de legibus verbo, nisi contrarietate sit.

8 Limitant aliqui, nisi prior lex firmata fuerit iuramento, de non derogando illam, nisi illius fiat expressa mentio, quia tunc illa lex nouo vinculo est stabilita, ac proinde non est præsumendum contraria legem voluisse Principem abrogare. sic docet Azor 1. part. lib. 5. cap. 6. q. 6. Emanuel Saa verbo, lex, n. 29. in vtraque edit. consensit Bonacina disp. 1. q. 1. punct. ult. §. 1. vers. ego vero. in casu, quo iuramentum non est solum assertorium de presenti, sed promissorium de futuro, scilicet de non reuocando legem: & sumt potest ex his, quæ de reuocatione privilegiorum tradit Suarez lib. 8. c. 14. n. 6.

Placet mihi hæc limitatio ea præcipue ratione, quia tunc non est præsumendum Principem habuisse memoriam legis prioris iuramento stabilitæ; & consequenter procedere reuocatoriæ legem ex ignorantia prioris, ac proinde non habere effectum. Neque obstat iuris communis ignorantiam in Principe non præsumi, cap. 1. de consuet. in 6. quia hoc est generaliter verum, quoties nullum sequitur inconueniens: at in presenti sequitur non leue inconueniens, nisi præsumatur illa ignorantia, quia sequitur Principem violasse iuramentum factum de non reuocanda lege, siquidem illam non relaxato iuramento incredit reuocare: quoties autem duæ præsumptiones concurrunt in vno actu, illa præualere debet, pro qua est honestas, & excludenda præsumptio delictum continens. Neque obstat etiam pro actu valore præsumendum esse, & consequenter pro lege posteriori, ut multis relatis docet Menochius de præsumpt. lib. 6. tota præsumpt. 4. quia, ut ipsemet Menochius supradicta præsumpt. num. 50. affirmat, non procedit hæc præsumptio de valore actus, quando repugnat mens disponentis, quæ omnino offenderet, si sumeretur interpretatio validitatis actus. At in presenti clarum est offendi Principem, si præsumatur sciens iuramentum à se factum de non reuocanda lege, nisi illius mentionem faciat, illam reuocare, nulla prioris facta mentione, nec relaxato iuramento.

9 Dixi posteriorem legem abrogare priorem, dummodo priori contraria sit, nam si aliquo modo excusati potest contrarietas, legem correctio, quoad fieri possit, vitanda est, ex leg. vltim. Cod. de appellat. c. 1. c. de inefficacis actib. c. ex cap. cum expediat, de elect. in 6. c. ex cap. v. um dilectus, de consuetud. & tradit Bart. l. si constante ff. soluto matrim. n. 39. & pluribus relatis Tiraquel, in præfat. num. 62. Et ratio est, quia mutatio legum damnosa est reipublicæ, per se loquendo; quapropter fieri non potest, nisi vbi vrgens necessitas vel utilitas interueniat, ut colligitur satis ex supradictis textibus.

Aliqui hæc doctrinam extendunt, ut procedat etiam, si ad hæc correctionem vitandam, fuerit necessarium verba legis correctoriae improprie: sic docent alios referens Sanchez lib. 1. de matr. disp. 17. n. 6. Gutierrez lib. 3. prætic. quæst. 15. n. 34. At hæc extensio mihi absolutè non probatur, quia aliàs nihil esset firmum in legibus, solum enim verba improptanda sunt, ut curetur aliqua iniquitas, & iniustitia, vel saltem ne dispositio iniustis, & illuoria reddatur, ut bene tradunt Felinus, Panormit. & Decius in cap. 1. de consuet. Bart. in leg. omnes populi, ff. de iustit. c. iure, n. 57. c. 58. Suarez lib. 6. de legib. cap. 27. num. 11. Salas disp. 18. sect. 6. n. 15. & sumitur ex glossa, non possunt ff. de legibus.

10 Dico secundò, si lex specialis, aut generalis abroganda

extra ius commune sit, tunc per posteriorem legem contrariam non abrogatur, nec derogatur, nisi illius saltem in genere faciat mentionem, quia non præsumitur edita ex scientia prioris legis, eo quòd ea quæ sunt extra ius commune, ignorantur à Principe præsumatur ex d. c. 1. de consuet. in 6. tradit Suarez n. 12. Salas sect. 6. circa finem.

11 Dico terciò, si lex abroganda in iure communi inserta specialis sit pro aliquo loco, vel specialis aliqua materia per posteriorem legem vniuersalem, non censetur abrogata, nisi illius meminerit, sed potius ex illa lege lex vniuersalis debet limitari seu derogari. Tum quia est regula communis: generi per speciem derogatur, vbi glossa communitè recepta explicat, etiam si species præcedat: tum quia vtraque lex potest subsistere. Ergo credendum est ita principem voluisse: tum denique, quia derogatio legis est vitanda, quoad fieri potest, sed in presenti vitari potest, affirmando posteriorem legem vniuersalem ferri cum illa tacita limitatione, & exceptione prioris legis; ergo ita interpretandum est: sic docent Bart. Abbas Iaf. Decius, Bald. & alij plures relati Sanchez lib. 2. de matr. disp. 24. num. 6. & addit hoc esse verum, etiam si lege noua sit clausula. Non obstante, debet enim (inquit) intelligi lege contraria, quia non possit cum precedenti sustineri per aliquam limitationem, seu distinctionem, idem tradit Suarez, & Salas supra. Anton. Gabr. tom. 2. comm. lib. 10. verbo lex, fol. 50. Azucud. lib. 5. recopil. tit. 4. l. 1. n. 52. Matienz. ibi glossa 3. n. 11. c. tit. 11. l. 1. glossa 8. n. 36. in princ. & alij plures, quos ipsi referunt.

§. II.

Qui possint legem abrogare, vel derogare.

- 1 Qui illam tulit, & eius successor illam abrogare potest.
- 2 Inferior non potest legem superioris abrogare.
- 3 An inferior in suo territorio possit superioris legem abrogare? Proponitur dubitandi ratio.
- 4 Communis sententia hæc potestatem in legibus civilibus admittit, non in canonicis.
- 5 Nullus inferior potest, sine pura derogatione, sine statuto contrario superioris legem abrogare.
- 6 Satisfit rationi dubitandi.
- 7 Statuta confirmata à superiore, possint inferior illa condere reuocare? Negat communis sententia.
- 8 Qua ratione hæc communis sententia vera sit, exponitur.
- 9 Possint Episcopus abrogare constitutiones factas in Synodo diocesana? Proponitur dubitandi ratio.
- 10 Cetero probabilis potest.
- 11 Satisfit argum. num. 9. adductis.

1 Certum est legem reuocari posse ab eo, qui illam tulit, vel ab eius successore, qui eandem cum legislatore, habet potestatem, vel à superiore illorum. De legislatore constat quia dependet ab eius voluntate. De successore idem probatur, quia habet cum illo eandem potestatem. Item, quia nullus suo successoris aequali prohibere potest abrogationem legis à se factæ, sicut nec sibi prohibere potest. Quia pat in patrem non habet iurisdictionem. De superiore autem idem constat, quia habet vniuersaliorum iurisdictionem. Qua ratione Pontifex sæpe leges ciuiles abrogauit, eo quòd bonis moribus contrarie fuerint, vel præiudicauerint libero vsui sacramentorum, & dispositioni rectæ piarum causarum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum, quia ob huiusmodi titulum, superior est Pontifex quolibet legislatoris ciuili, ut rectè multis exemplis confirmat Azor 1. part. lib. 5. cap. 20. c. seqq. docet Suarez lib. 6. cap. 26. numero 3. Salas disp. 18. sect. 4.

2 Secundo certum est inferiorem non posse legem superioris abrogare, quia superior potestas non subditur inferiori, ex cap. cum inferior, de maiorit. c. obediens. & habetur Clement. in Romanis, de elect. Ex quo fit neque Episcopum abrogare posse legem Pontificiam, neque Concilij provincialis, quia huiusmodi leges latæ sunt à superiore. Item Episcopus solum habet iurisdictionem in sua diocesi, extra illam non habet: leges autem Pontificiæ, & Synodi provincialis obligationem inducunt non solum pro sua diocesi, sed etiam pro aliis. Ergo Episcopus non potest illarum obligationem tollere, sic omnes supponunt, quos superuacaneum est recensere.

3 Difficultas autem est, an inferior habens potestatem condendi legem in suo territorio, possit legem condere contrariam legi vniuersali superioris, vel illam pro suo territorio abrogare? Ratio dubitandi est quia inferior ea de causa habet potestatem dispensandi in lege superioris; Episcopus, inquam, in legibus Pontificiis, & magistratus in legibus regijs; quia pertinet hæc potestas ad rectam, & suauem suæ ditionis gubernationem. Sed etiam ad rectam, & suauem ditionis gubernationem pertinet habere potestatem derogandi leges superiores, cum sæpe lex vniuersalis in aliqua pronuncia minus utilis, vel potius damnosa iudicatur. Ergo gubernator illius pronuncie potestatem habere debet impediendi illius obligationem.